Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Vitae Christi pars prima - Cod. Aug. perg. 22

[Reichenau ?], [15. Jh.]

Capitulum IIII

urn:nbn:de:bsz:31-41594

Visual Library

Secunda secundum Augustinum ad confirmationem matrimonii contra futuros hereticos matrimonium dampnare volentes ut per hoc quod de virgine et desponsata nasceretur utrumque status et virginum et coniugatorum approbaretur contra hereticos alterutrum eorum detrahentes. Tercia est ad sublevacionem opprobrii ut sic ab omni gradu feminarum tolleretur opprobrium quod in eva incurrerat omnis femineus sexus et tam virgines quam nupte quam etiam vidue a communi opprobrio quod in eva contraxerat exhiberentur in persona marie. Quarta est ad commendacionem exempli ut videlicet ostenderet facta desponsacione ante consumacionem liberum esse transire ad meliora vota sponso irrequisito ut est in religionis ingressu ubi anima desponsatur deo. Sicut fuit in beata virgine. Quinta est secundum Augustinum ad declaracionem misterii. Quia sicut ipsi christo desponsata ecclesia que virgo est immaculata scilicet et sine ruga aut virginitatis suamque filium in fide ihesu christi. Quia secundum leonem papam quod spiritui de virginis utero nascitur christus. Hic de ecclesie utero nascitur christianus. Ideo autem secundum Crisostomum beata virgo [maria] fabro lignario desponsata fuit quia christus ecclesie sponsus omnium salutem per lignum crucis operari debebat. Et secundum Augustinum christus natus est de matre que fabro desponsata erat ut carnalis nobilitatis tumorem excluderet. Considera modo quante ante hanc beatam virginem et quante post eam mulieres et virgines fuerint. Hec tamen sola mater domini fieri meruit. Magna enim et ineffabilis gracia est ut una ex tantis milibus eligatur. Hec autem pre ceteris electa fuit quia omnes alias in sanctitate precellit. Unde Anshelmus: Eam solam fructus creda et tenes deus ex omnibus virginibus quas capiebat mundus elegit et fecit ut habitaret in ea corporaliter

quam iam plenam pridem virtutibus venerabat et amplectabatur spiritualiter. Ipsam autem omnes mulieres sanctitate precellusse puto quod intelligit qui animadvertit. Nam alie quidem partes graciarum meruerunt. Ipsa autem plena gracia ab angelo salutatur. Hec Anshelmus. Oracio.

Salve virga yesse florida et fructifera maria virgo sanctissima de qua summus ille et singularis flos et fructus prodiit. Unde virtutum spiritualium germen excipit flos suavissimum emittens odorem. Fructus sapidissimus immittens dulcorem. Flos augmentum bonitas expellit mesticiam. Fructus aug saturitas plenam dat leticiam. Benedicta virgo de radice yesse. Benedictus et flos qui de tali radice ascendit. Benedicta arbor. Benedictus et arboris fructus tuo ergo flore me recrea tui fructu ab omni miseria me libera virgo maria in nobis [illegible] Amen.

De concepcione iohannis precursoris domini. Capitulum quartum

Fuit autem in diebus illis scilicet in diebus herodis regis iudee sacerdos quidam nomine zacharias de vice abia et uxor ei nomine Elizabeth aaronita. Erant autem ambo iusti ante deum. Ubi sicut proprie quod singulis iusticiam ante omnium incedentes in omnibus mandatis [quantum] ad observanciam moralium preceptorum et iustificacionibus domini quantum ad observanciam cerimonialium sine querela quantum ad observanciam iudicialium. Et quia sic ad proximos se habebat et non erat illis filius propter sterilitatem que est causa specialis mulieri et senectutem que est causa ~~communis~~ communis viro et mulieri. Ex quo apparet conceptio precursoris miraculosa. Quia non fuit tantum per naturam sed supra naturam gracia divina adiuvante. Iste herodes de patre ydumeo descendens fuit alienigena et iam ceptrum ablatum fuit de iuda et ideo tempus adventus christi instabat

Hec fuit prefigurata per virginem Saram raguelis filiam thobie desponsatam que ab omni concupiscencia mundam servavit animam suam. Multo magis maria ioseph desponsata que virgo intemerata permansit et immaculata. Comparatur et virgo maria turri fortissime que dicebat baris que in scolastica hystoria de duabus custodibus defendi poterat ab omnibus viventibus. Tam fortissima et inexpugnabilis fuit virgo maria cum custos perpetuus erat deus eterna sapiencia. Cuius turri comparatur turri david que munita erat mille clipeis qui de ea dependebant que mille virtutes et multo plures in maria apparebant quibus vita eius munita erat in tantum quod omnes temptaciones et penitus superabat et non solum hec a se sed et ab aliis gratis sua in fundendo repellebat. Considera

quia iacob

quia Jacob patriarcha spiritu prophetico sig
num adventus Christi predixerat. quando
regnum Judee ad alienigenam fuit transla
tum esset dicens Non auferetur sceptrum de iuda
Et sciendum hic quod cum moyses unum instituisset
summum sacerdotem. cui mortuo. unus per ordinem suc
cederet david volens ampliare cultum domus
domini. de xxiiii^or familiis que descenderant ab a
aron instituit. xxiiii^or sacerdotes super quos
tamen unus maior erat summus omnium qui dice
batur princeps sacerdotum Instituit ut infra
...
sacerdotum Instituit etiam eos vicissim
ministrantes per ebdomadam a sabbato usque
ad sabbatum tempore vicis sue singuli castimo
nie studerent. nec introitum in domum propriam
intrarent. sed in domiculis circa templum
constitutis que exedre vocabantur cubarent
Et secundum sortes dedit cuique vicis sue
ebdomadam et octava sors cecidit super abia
de quo descendit iste zacharias. Similiter
de tribu levitarum xxiiii leviti erant utique
quoque eodem modo sortiti. iuxta morem sacer
dotum certis diebus ministrarent ¶
Zacharias autem cum in ordine vicis sue
sacerdocio fungeretur secundum exigenciam
sortis sue octave. exiit de domo ubi se sa
cerdotalibus vestibus induit ut incensum
poneret ingressus in templum domini
x^a die mensis septimi scilicet septembris et on
nem populus foris orabat extra templum.
quia non erat licitum populo ingredi tem
plum sed tantum atrium. Ex hiis videtur
Zacharias fuisse sacerdos simplex non summus.
quia hic dicitur quod ingressus fuit templum
ad ponendum incensum tantum. hoc autem
licitum erat minoribus sacerdotibus secundum
quod dicit apostolus In primo quidem tabernaculo
cottidie intrabant sacerdotes sacrificiorum
ministeria consumantes. et post acto sacrificio
in altari holocaustorum quod erat in atrio
ubi ministrabant sacerdotes minores.

sacerdos qui ibi ministraverat. accipiebat
prunas de altari holocaustorum. et intrans
primam partem templi. que vocatur sancta
vel sancta sanctorum cremabat in illa super altare
incensi thymiama. et cum erat holocau
stum consumatum sacrificium. et hoc fiebat
omni die In hoc enim erat consumacio sa
crificii. quia sacrificia veteris legis non
erant accepta nisi ex fide et devocione
offerencium. devocio autem per thurifica
cionem designabatur. et ideo in hoc sacrifi
cium consumebatur In illam vero partem
templi. que dicebatur sanctum sanctorum.
solus summus sacerdos intrabat cum san
guine hyrci et vituli immolati pro peccato
populi ut ex illo aspergeret contra propicia
torium ¶ Quod autem Zacharias intrat
cum sanguine talis non dicitur hic. sed solum
ad ponendum incensum unde angelus
apparuit ei. a dextris altaris incensi quod
eciam vocatur altare aureum. hoc autem
altare non fuit intra sanctum sanctorum sed
in prima parte templi. ad quam simplices
sacerdotes poterant ingredi. Sed incen
sum quod soli summo sacerdoti licitum
erat ponere intra sancta sanctorum in die expi
acionis. hoc non ponebatur ad offerendum
sed ut nebula inde consurgens in operiret oraculum
quando pontifex aspergebat sanguinem
vituli et hyrci contra oraculum. Et nec in
hystoria scolastica describens sacerdocium
iudeorum mencionem facit de summo Zacha
rie sacerdocio ¶ Per Zachariam qui domini me
mor interpretatur. bonus prelatus significatur
qui in suo pectore debet dei memoriam gerere
pro sua et suorum subditorum salute. hic autem
templum ingreditur per diligentem divini
cultus sollicitudinem et offert incensum per
devotam oracionem. et populus orat per
eius informacionem ¶ Triplex vero debet
haberi de deo memoria scilicet potencie eius
quo ad opera creacionis. sapiencie quo ad

opera recreationis · bonitatis · quo ad opera
retributionis · prima ad patrem · secunda
ad filium Tercia ad spiritum refertur sanctum
Apparuit autem Zacharie · Gabriel angelus
stans a dextris altaris incensi · quo viso
timor irruit super eum · propter claritatis et
potencioris nature aspectum · Sed bonus
a malo discernitur quia malus horrorem in
cutiat · quem secundum Bedam nulla melius
racione quam fide intrepida superatur
bonus autem statim confortat et consolatur
unde angelus statim confortabat eum dicens
Ne timeas Zacharia ecce qui dicebat veni ad
consolacionem tuam et iam subditur quia exaudita
est deprecacio tua · Orabat enim non
pro prole de qua iam non sperabat · presertim
cum de sua sueque uxoris etate diffideret
et angelo id promittenti non crederet · sed pro
populi peccatis et redempcione et adventu
messie Et quia salus populi per christum
futura erat · innuit ei filium nasciturum
qui penitenciam et fidem predicando plebem
salvatori prepararet · Nomen quoque puerum
dicitur quod Johannes vocari debuit Johannes
enim interpretatur in quo est gracia · ipse vero eum
manifestavit per quem gracia et veritas fac
ta est Unde Beda Johannes interpretatur
in quo est gracia vel domini gracia · quo nomine
declaratur primo parentibus eius graciam quibus
decrepitis filius nasceretur esse donatam || Deinde
inde ipsi Johanni qui magnus eciam domino erat
futurus et adhuc in utero matris spiritus
sancti sit munere ditandus || Postremo eciam
filiis israel quos ad dominum deum ipsorum erat
conversurus · hec Beda || Patri quoque inde
gaudium secundum interius et exultacionem secundum
exterius intimavit || Dicitur enim exulta
cio quasi extra saltacio · et hoc est proprie quando
gaudium est tantum interius · quod non potest
contineri · quin appareat exterius · leticiam
eciam multis aliis in eius nativitate
promisit quia in ortu eius non solum pater
sed et alii multi sunt gratulati · et modo
videmus impleri quia dies sue nativitatis
non solum festivatur ab omnibus christianis
eciam sed a paganis et quibusdam aliis
Unde Beda merito pater gaudet quod in
senecta natum vel talis gracie accepit filium
Gaudent et alii · quibus inauditum catenus
nuncius celestis evangelizavit ingressum · unde
et Ambrosius Solempnis leticia est in celebri
generacione sanctorum ministerii Beatus enim non solum
parentum gracia sed eciam salus est multorum unde
admonemur hoc loco · sanctorum generacione letari
hec Ambrosius Moraliter in quolibet nostrum
possumus invenire Zachariam et uxorem
eius elizabeth · hec parit ei filium · cuius no
men debet vocari Johannes · eritque sibi gau
dium et exultacio et multi in nativitate
eius gaudebunt Elizabeth uxor Zacharie ·
potest intelligi caro copulata spiritui sancto
quia sicut vir regit et castigat uxorem
ita spiritus sanctus castigare et regere debet
carnem ne lasciviat et mandat infirma
cionis reatum · hec parit ei filium · quando
spiritus per carnis officium exercet opus bo
num · ut si dat elemosinam vestit nudum
pascit esurientem visitat infirmum sepe
lit mortuum et cetera huiusmodi Tunc
uxor ipsius sicut vitis habundat in lateribus
domus sue Huius filii nomen secundum dictum Johannes
vocari debet dei gracia vocari quia nemo bonum
opus debet sibi attribuere · sed tantum gracie
dei Erit quoque sibi gaudium et exultacio quia
de bono opere gaudebit et exultabit qui
mentem letificat et serenat · Et multi
in nativitate eius gaudebunt omnes videlicet
boni qui proximo suo congratulantur in bono
Est ergo nobis summo opere providendum ut
qui gaudemus exterius repudiantes in corpore
gaudeamus interius exultantes in mente quia
reliquie cogitacionum diem festum agunt
domino Non est impiis gaudere · dicit dominus
nec peccatoribus a facie peccatorum Quos
circa purgemus dies nostras a maculis vi
ciorum ut tante plenitudinis gaudium digni

ne celebrare possimus. Magnificenciam etiam pueri coram domino futuram in virtute sanctitate et dignitate angelus pronunciavit. Cuius magnitudo in quatuor consistit secundum quatuor dimensiones scilicet in altitudine conversacionis in profunditate humilitatis in latitudine caritatis in longitudine perseverancie finalis secundum illud apostoli ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis etc. Cui racione quoque postmodum attestante. Inter natos mulierum maior eo non surrexit. Et et angelus multipharium eius magnitudinem subsequenter exposuit et plura ipsius privilegia seriatim enumeravit. Et vita eius cum abstinentia prodierit scilicet quod vinum et siceram id est poculum quod inebriare potest bibiturus non esset. quia non deo nus celesti mancipatus gracie sensualis illecebris desiret. In quo patenter indicavit angelus. quia ab omnibus viciis et mundi illecebris que statum mentis solent evertere futurus esset immunis. Prodierit etiam angelus quod spiritu sancto ex utero esset replendus scilicet quantum ad purgacionem originalis peccati et ad operacionem boni meritorii. In quo ostendit quia natus in mundum cunctis virtutum fructibus clarificandus esset. Prodierit quoque quod multos filios israel converteret ad dominum ihesum christum quod et fecit predicando ipsum et perhibendo de eo ~~maximum~~ testimonium. Pronunciavit insuper angelus quia ante dominum in spiritu et virtute helye esset precessurus. Primo propter similitudinem officii quia sicud helyas precedet adventum christi secundum ita Johannes precessit primum. Secundo propter similitudinem vite quia uterque fuit in magna victus et vestitus austeritate. Tercio propter similitudinem doctrine quia uterque constanter redarguit vicia principum magnatum. Ad hoc autem debebat precedere ut converteret corda patrum in filios scilicet quantum ad scripturarum eandem intelligenciam. et incredulos ad prudenciam iustorum. quo ad fidei obedienciam. et pararet domino plebem perfectam quo ad ewangelii et novi testamenti graciam suscipiendam quia neminem ad perfectum adduxerat lex. Et propter hoc illa lex dicitur lex timoris quia imperfectorum est timore pene retrahi a malis. Lex autem ewangelica dicitur lex amoris quia perfectorum est a malis retrahi amore boni. Sicut autem de parentibus sterilibus talis et tantus est natus. sic sepe provecte etatis homines et bonis operibus steriles ex dono spiritus sancti fiunt magni sancti in ecclesia dei. sicut patet de ~~Aug~~ Augustino et Ambrosio qui provecte etatis vocati fuerunt ad fidem christi. Zacharias autem sterilitatem uxoris et utriusque senectutem considerans non credidit. et ob hoc usque in diem partus obmutuit significans quod iam adveniente christo lex et prophetie adimplete taciturnitate. Cessit et ideo zacharias sacerdos iudeorum obmutuit quia iam cessare et obmutescere oportebat sacrificia eorum que pro peccatis populi offerebantur. Veniebat enim plus sacerdos quam nostro proprio immolato sacrificium deo patri pro nobis offeret. Per hoc quoque quod dubitans factus est mutus significatur quod lingwa dubitantis in fide facta est muta quia oracio eius non est deo accepta. Per hoc etiam quod post revelacionem sibi factam obmutuit innuit quod post revelacionem sue visionem debet homo reticere. qui mutus non iactare se tamquam elatus. Ut autem impleti sunt dies officii eius abiit in domum suam ad quam non licebat reverti durante officio. Vacabat enim suo tempore sacerdotes castimonie studebat. et secundum preceptum domini vinum et omne quod inebriare potest non bibebat. Et si legalis sacerdos tenebat ad tanta gradu de abstinencie et veneris, sunt instruunt sacerdos ewangelicus qui cotidie conficit sacramentum. Et quia tota ebdomada [#] non exibat ad propria necessaria intentus ad divina. ex hoc inolevit consuetudo apud aliquos religiosos sancta et honesta. scilicet quod ille qui est ebdomadarius

[#] qui cum templo ministrabat sacerdos ad domum non templo manebat

per totam ebdomadam manet infra claustrum
non exiens ad exteriora intentus soli divino
quia illo tempore medius est et sequester inter
ipsum conventum et deum. Apud quosdam
etiam religiosos abstinet illa ebdomada a
communi collacione et apud etiam seculares canonicos
in communi dormit scilicet in dormitorio. Post hec
elizabeth concepit scilicet octavo kal. octobris
et sexta feria et quia senex erat pre verecundia se
quinque mensibus occultavit donec maria eam
aperiret et fetus eius exultans ~~opprobrio steri~~
~~litatis~~ cum gaudio prophetaret. licet enim
de conceptu et de ablato opprobrio sterilita
tis gaudet propter senilem tamen etatem
aliquantulum erubescebat ne in senectute
libidini vacasse videretur. Tunc enim cum non
erat spes de prole non conveniebat amplius
sibi ubi Beda Cum itaque sanctus cura sit ne quid
turpe de quo erubescere debeat admittat
ostendit Elizabeth que et de ipsis que actu pre
cipiebat domino erubescat. Considera ergo
hic quomodo elizabeth etiam de licitis eru
bescebat coram hominibus et stude de
illicitis omnibus erubescere ~~debeat admit~~
~~tant. ostendit elizabeth que et de ipsis que~~
~~actu pre cipiebat~~ et abstinere non solum co
ram hominibus sed etiam coram deo et ange
lis eius. Nam testante Boetio magna
est nobis necessitas recte vivendi et probi
tatis quia omnia facimus ante oculos iudicis
cuncta cernentis unde Augustinus Quid
quid feceris deus assistit utpote qui est cunctorum
inspector omnium cogitacionum intencionum
et actionum. Cumque hec diligenter con
sidero timore pavesco et ingenti rubore
confundor quia illum ubique presentem et omnia
occulta mea videntem intueor. multa
enim sunt in me de quibus coram eo eru
besco. Et ideo ait Augustinus Ubi peccas ubi deum
esse nescis unde et quidam alius Cum
quid turpe facias quod me spectante
rubesces. Cur spectante deo non magis erupe
rubescis. Inter proprietates quippe hominis
una est verecundari in turpi peccato propter
inverecundi dicuntur inemendabiles quia omni a
liquo circa omnis honore mutati sunt pecu
dinam naturam assumentes et tanquam ex
sortes inter homines racionales se habentes.

Sancte Johannes tu eodem deo
angelo quo Christus denunciatus conceptus
et prius ab ipso angelo laudatus
quam a patre genitus. tu de quo dixit deus
inter natos mulierum non surrexit maior
adtende domine tam sanctum tam beatum tam
magnum confugio. dubius de salute mea propter
terribilis de magna mea culpa. sed sperans de
maiori tua gratia. Dele ergo apud deum
scelera mea quia maiora sunt apud eum
merita tua. Magna enim sunt magister Johannes
merita tua ut sufficere tibi possint et michi.
et si prosint michi nichil minuentur tibi.
Suppleat ergo tua habundancia meam
inopiam. ut de te me ditatum et salvatum
mererer gaudeam. amen.

De concepcione salvatoris ca. v.

In mense autem vi a concepcione
precursoris postquam venit pleni
tudo illius sacratissimi et feli
cissimi temporis scilicet principium
sexte etatis quo summa trinitas generi hu
mano per incarnacionem verbi providere
ante tempora ordinaverat vocans deus
omnipotens gabrielem archangelum unum
de primis principibus regni sui misit eum
in civitatem galilee dictam nazareth ad vir
ginem desponsatam mariam Joseph viro de
suo genere quia ambo erant de ~~stirpe~~ domo david
de ~~domo~~ regali familia. de tribu et stirpe
nobili. et sacerdotis religiosa. sicud dicit
Bernardus. placuit deo eodem ordine et eodem
modo hominem reconciliare quo noverat
cecidisse. Ceciderat autem homo suadente